UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Tractatvs De// Beneficiis// Amplissimvs,// Et Doctissimvs

Garcia, Nicolaus

Coloniae Allobrogvm, 1618

Illvstrissimo Et Reverendissimo D. D. Ioanni Garcia Millino, S. R. E. Cardinali Amplissimo, & S. D. N. Papæ Vicario.

urn:nbn:de:hbz:466:1-98550

Visual Library

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO

D. D. IOANNI GARCIA MILLINO, S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO, & S. D. N. Papæ Vicario.

CVm primum tomum mei tractatus de beneficiis communi applausu, & maxima approbatione; vbique receptum, Illustrissime Cardinalis, tibi eum videre cupienti Romæ in secundo meo aditu obtulerim, valdeque probaueris, visum est mihi secundum eiusdem tractatus tomum, quem non minus placiturum spero, tibi etiam offerre, ac dicare, sub tuoque patrocinio, & nomine clarissimo edere: sic enim fiet, vt fœlicibus prodeat auspiciis, prosperoque procedat cursu munitus tanto patrono, in quo vltra Pontificiam, Cardinalitiámque dignitatem amplissimam, elucent eximia generis claritas, egregia morum probitas, & integritas, summa iuris rerúmque peritia, quæ te auditoratu sacræ Rotæ, (quem per multos annos præclare, & doctissime, magnáque cum laude, & satisfactione gessisti) Legatione, seu Nuntiatura Hispaniæ Pontificia, & Cardinalitia dignitate, maioríque dignum fecerunt. Impulit etiam ad id faciendum beneuolentia, & humanitas maxima, qua me semper tractasti, & prosecutus es, ex quo primùm vrbem adij, vbi te statim iudicem Rotæ in propria causa habui: atque in secundo aditu, cum Romam rediissem ad limina Apostolorum visitanda pro domino Episcopo Abulensi meo prælato, cuius visitationis negotium, cùm te potissimum agere oportuit, vti præfecto sacræ Congregationis Concilij. Accipe igitur illustrissime domine ea, qua soles benignitate, munus hoc obsequij mei argumentum, & testimonium, méque & librum sub tua tutela prodeuntem tuere semper. Et vale fœlix.

Lic. Nicolaus Garcia Abulen. Canonicus.